



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 41. Venetorum postulata itidem a Pontifice rejecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI
A. C. 1509

Bembo l. 8.
Ciacon. in
Jul. II.

prospera armorum fortuna, victoriisque præter spem reportatis paulo elatior, nec non humanarum rerum inconstantiae immemor, nihil hac super re cum Venetis pacisci voluit absque Galliarum Regis assensu.

§. XLI.

Venetorum postulata itidem a Pontifice rejeſta.

Bembo l. c.
Ciac. ib.

Nec summum Pontificem sibi magis propitium experiebantur Veneti; is enim jamjam Ravennæ arcem armis suis subjecerat, præſidiariis jure belli captis. Re intellecta, Grimanus & Cornerus Cardinales, nomine suæ patriæ Pontificem adeunt, rogantque, ut recuperatis, quæ antea ad ditiones Ecclesiasticas pertinebant, urbibus censuras in Rempublicam fulminatas tolleret; verum Pontifex Oratores in conspectum suum, nec venire, nec eos alloqui sustinebat, sed a Venetis etiam reditus, quos a possessis ditionibus percepissent, repetebat, ac jurisdictionis Ecclesiasticæ temere violatæ injuriam reparari postulabat. Hoc Pontificis petito Senatus tantopere concitabatur, ut liberrime Papam convitiis appeteret, illumque nonnisi generis humani hostem, & Patris communis nomine prorsus

prorsus indignum criminaretur (*) Sæcul. XVI.
 quin imo non deerant nonnulli, qui ad A. C. 1509.
 Turcarum Imperatorem Legatos pro ob-
 tinendo auxilio mittere suaderent, sanio-
 res tamen ex Senatoribus primos hosce
 iracundiæ impetus reprimebant, atque
 ad media præfenti rerum conditioni ma-
 gis congrua animum adjiciebant.

§. XLII.

Pontifex exoratus.

Ergo Venetorum Dux datis ad Papam *Guicc. lib. 8.*
 literis humanitate plenissimis eidem *Raynald. hoc*
 ad omne satisfactionis genus sine ulla *ann. n. 14.*
 exceptione se offert, dummodo sex Ora- *§ 15.*
 tores illos, quos Respublica pro revocan-
 dis censuris Romam ablegaverat, bene-
 vole audiret, atque ad sacra pedum of-
 cula admitteret. Julius hisce precibus
 commotus, omnem indignationis sensum
 deposuit, atque ad Ducem literas dedit
 paternæ clementiæ testes, nec hic stetit
 Ponti-

(*) *Palatius in Jul. II. n. 10. hæc addit:*
 Severitatem Pontificis magnopere juvabant
 Gallorum Legati, qui Julium urgebant, ne
 Venetis reconciliaretur, dicentes non aliter
 Pontificem reliquos moderaturum Principes,
 quam si frænum Reipublicæ injiceret, & vin-
 cula.